

22
x 97. (3.)

DE SACRA CRITICE ORATIO

HABITA


IN ACADEMIA VALENTINA

A

P. THOMA SERRANO

Soc. Jes.

xv. KAL. Nov. MDCCXLVI.



VALENTIÆ:

Ex Officina Josephi Stephani Dolz, S. Inquisit. Typographi.

LECTORI CRITICO.

AMIC LECTOR : *Sacra Critice , Ars multò innocentissima , paucorum boni pum culpà , qui Critici audire volunt , cum non sint , in invidiam vocari jam pridem cœpta est . Ejus invidiae causa , abusi s , abusus verò , nimla facilitas . Nam si qui sunt Sciolis , sunt autem non pauci , qui tam specioso nomine abuti velint , facilè populo imponunt , & apud vulgus inclarescunt . Nec mirum id quidem : nam nibil est facilius , quam maledicentia , que huic gregi familiaris solet esse , famam sibi comparare . Sic Satyrici Poetæ etiam male probantur , sic falsi etiam inurbani ; & insulsi placent . Hujus rei causas , pari brevitate , ac felicitate persequutus est Lamindus Britanius , seu qui cumque est Autor operis de moderatione ingeniorum in Religionis negotio . Quare consilium in hac oratione meum illud fuit : Sanctissimam Artem in suam dignitatem vendicare . Id ut praestarem , conatus sum ostendere veros Criticos non quos vulgus putat , fuisse , sed Viros etatum omnium praestantisimos . Interea verò iis , qui per summam injuriam , atque impudentiam in hanc provinciam invaserant , necesse fuit ire obviā , & quantum in nobis fuit ex alienis possessionibus , tanquam intrusos pellere , eos quasi intenso digito comministrare , suis coloribus describere , ne ita cautele fuventuti magno rei litterarie malo facum facerent . Id tamen te monitum etiam , atque etiam volo , me nemini præter ceteros in hac oratione voluisse insultare , neminem lädere , quare , quod est apud Tullium , irasci mibi nemo poterit , nisi qui ante de se volūt confiteri . Unus Heineciuss nominatim vapular , nec puto id quemquam molestè laturum , si modò sciat , que merces , quamque Fidei exitiales per istum Pseudocriticum in nostram Hispaniam invecta sint . Rident ad hæc Sciolis , quibus datum est picum tangere , nec inquinari . Rideant licet , at audiant Petrum Joannem Perpinianum Parisijs , Criticorum in arce pro vetera Religione dicentem : Hispanæ nomen ipsum arbitror istos (Heineccii similes) exhorrescere . Et enim est illa tota provincia valde inimica novitati ; ut ad eam ista belluga (heresi) aspirare nullo modo possit . At sunt Hispani paciendum genus . Fatetur ; malunt videri nimis timidi , quam parum prudentes . Id erat , quod te monitum vellem , Vale Lector , & Criticos ama , Sciolos cave .*



X quo gratissimam hanc, longèque
difficillimam provinciam sum in-
gressus , dedi operam , ne quâ
in re Valentinæ Juventuti dees-
sem ; quò etiam curavi diligen-
ter , ut si orationes meæ nullo
dictionis flore convestitæ placere
per se minùs possent , à rerum cer-
tè utilitate vobis sapientissimis
viris probarentur. Quod cum semper aliàs feci,
tum verò hodierna die vel maximè : cum op-
timam , & planè necessariam ad veram sapien-
tiam ducem , Sacram Criticem hoc nostro in sæ-
culo tantopere celebratam , ut omnium in ore sit,
ante oculos vestræ Juventutis ponere constitui , qui-
que verè , & quasi suo jure , qui contra falso , &
injuriam illius nomine glorientur. Quod si ex animi
sententiâ præstare potero , non dubito , quin multa ,
ac magna commoda allatura sit vestræ Academiacæ
hujus diei oratio. Videbunt enim optimæ spei
Adolescentes , qui undique ad eam confluunt , cui
credant , nec se facilè decipi patientur.

Sed priùs quam institutum opus aggredior , diluen-
da est quædam macula , qua artium pulcherrimam
denigrare quidam , boni illi viri , sed rudes tamen ,
& indocili non verentur. Audio , viri ornatissimi , au-
dio non semel , qui dicant coævum huic arti fuisse
apud Gallos , & Italos Atheismum , quo quid
gravius dici de illa possit , non intelligo. At mihi

credite, nihil inde mali in nostram Criticem redundabit. Nam si verè ratiocinari volumus, non illi quam laudamus artem vituperant, sed nefcio quam illius umbram, quæ sanctissimæ artis gravissimum nomen sibi ausa est adoptare. Nullo sanè jure, nam solida Critice, & vera, ut alia præteream, longè est antiquior eâ impietate, quam loquuntur, quippe ut quæ jam olim nascenti Christi Ecclesiæ, id est, veræ Sapientiæ Scholæ multum adjumenti attulisse videatur. Sic est, viri ornatissimi, hujus tam præclaræ artis beneficio primi illi, ac veri Christianæ Ecclesiæ Doctores falsa à veris, supposititia à genuinis, apocrypha ab authenticis distinxerunt. Quod minimè mirum videri debet; quid enim est omnino Sacra Critice, nisi mentis dux, & lux veritatis, qua duce, Sacri Autores in rebus obscuris non offendunt, in incertis non hærent, in lubricis, ac periculis, non labuntur? Quod si quis vestrum scire fortasse velit, ubi nobilis ars tandiu ignota latere potuerit, ut ne ipsius quidem nomen ante sæculum hoc Criticum audiretur, non verebor dicere: primis Ecclesiæ temporibus penes Christi Servatoris nostri discipulos, mediis penes Ecclesiæ Patres, ultimis penes Scholæ Theologos fuisse. Sic nunquam de Scholæ gremio egressam, semper de illius complexu fuisse, ac sinu. Quod ne cui mirum esse videatur, obsecro vos, ut quemadmodum facitis, diligenter animum attendatis.

Meā quidem sententiā, opinor, & vestrā apud eos viros Sacram Criticem semper fuisse necesse est, quorum fuit de iis rebus, quæ ad fidem pertinerent, sententiam dicere, ex illis enata dubia tollere, nodos dissolvere, oppressam veritatem in libertatem afferere, & è quæstionum laqueis expedire. At quibus viris gravissimam hanc curam cum primis, tum

etiam

etiam mediis , & extremis Ecclesiæ suæ sæculis mandavit Deus ? Res ipsa loquitur , viri ornatissimi , neque ut maximè velitis , potestis dubitare , nisi omnia vetustatis sanctissima monumenta , quæ collere debetis , convellere malueritis . Visum est aliquando infelix lolium , visæ steriles avenæ Dominico in agro dominari ; visa est pulcherrima veritas non alto quodam in puceo , quod Democritus somniavit , sed cæca errorum abyssø jam demergi , visa Petri navicula non modò ventis agitari , sed & hæresum fluctibus absorberi . At quorum ope , ac diligentia evangelicum triticum felici incremento ad falcem pervenit , veritas pulchrior emersit , Petri navis naufragium evasit ? Tria Ecclesiæ Concilia , ut alia missa faciam , Hierosolymitanum , Nicænum , Tridentinum exemplo vobis sint . In illis quidem sacra veritatis jura , quod sacrorum , vel Judicum , vel Criticorum est , Apostoli , Patres , Theologi sanciverunt ; quæ quidem exempla tanti sunt momenti , tanti ponderis , ut quivis , qui illa attentè velit meditari , nihil ad totius causæ confirmationem desideret . Sed quoniam in re critica versamur , libet regulam aliquam criticam statuere , de cuius veritate inter omnes consentiat , tum ad illam reliqua de quibus lis erit , exigemus , Deo nimirūm , ut qui rerum omnium sapientissimus sit , omnibus in rebus credi oportere ; cuivis autem homini , cum omnia nosse non queat , in iis prudenter fidem haberi , in quibus magnam vitæ partem , nec sine magna laude colloca- verit . Planè huic legi , ac regulæ intercedere potest nemo . Sic Agricolæ si de serendis vitibus loquatur , prudenter credimus ; si de regulis dialecticæ , atque adeò de differendi arte loqui velit , non item : sic Nautæ si de ventorum naturâ , & remigandi periitiâ edifferat , merito fidem habemus ; si de navi

reipublicæ moderandâ , & de bellorum fluctibus plancidis garriat , jure assensum denegamus : sic denique Mercatori si de permutandis cum luçro mercibus orationem instituat , haud injuriâ silentium præstamus ; si de tollendis conscientiæ scrupulis , quos mercatura injectit , audeat philosophari , furdas aures præbemus.

Jam igitur intermissum opus repetamus : qui sunt , qui ab ineunte Ecclesiæ ætate Christi communis Magistri æternæ vitæ verba diligentissimè observaverunt ? Apostoli . Qui sunt , qui cælesti illius doctrinæ se totos excolendos tradiderunt ? Apostoli . Qui sunt , qui pro eâdem vitæ doctrinâ vitam suam posuerunt ? Apostoli . Rursus : Qui sunt , viri ornatiissimi , qui alterâ Ecclesiæ ætate sacras litteras diurnâ , nocturnâque manu versavere ? Sancti Patres . Qui sunt , qui Apostolicas traditiones ad omnem postterritatem aureis suis scriptis mandavere ? Sancti Patres . Qui sunt , qui universam Christi doctrinam , qua verbo traditam , qua litteris consignatam vitæ sanctitate consecravere ? Sancti Patres . Qui sunt denique , qui extremâ hac Ecclesiæ ætate miras fallaciarum artes , in quas sese induere veritas metuebat , felicissimè explicuerunt ? Scholæ Theologi . Qui sunt , qui Patrum vestigiis inhærentes , haustam è divinis libris , atque Apostolicis traditionibus veritatem faciliori via , ac ratione ad captum communem accomodarunt ? Scholæ Theologi . Qui sunt , qui callidam Hæreticorum loquacitatem pressa , subtilique differendi ratione compresserunt ? Scholæ Theologi . Nihil horum negari , nihil ambigi , nihil in dubium verti potest nisi stultissimè , & tamen ea omnia neganda , ac pro nihilo habenda ei sunt , qui Sacram Criticem apud tales viros fuisse nolit confiteri .

Scio hoc Scholæ , hoc Theologi nomen plerique

que esse hac tempestate invisum , neque illud nefcio , esse non paucos , qui cum laudent Christi discipulos , colant Sanctos Patres , Scholæ Theologos mirificè contemnunt ; sed mihi credite , qui sui temporis Magistros negligunt , si cum superioribus vixisserent , & illos neglexissent . Scio , clarissima nomina Angelici , Subtilis , Seraphici , atque id genus alia Scholasticorum Doctorum insignia nescio cui Heinuccio hujus temporis Critico usque ad ludibrium vilescere , sed id tum mirarer , si impudentis stultitiae duces intra sua castra non haberet ; at nunc ut non mirer , doleo tamen quorundam scolorum vicem , qui tam bello Magistro delectantur , nam brevi Critici hujus licentiam Sanctiores Hispaniæ nostræ Critici coercebunt , & è manibus eorum , qui anguem latentem in herba non videant , excutient . Quare omittam in hoc loco mali corvi mala ova elidere . Id unum rogaverim Scholæ obtrectatores , ut etiam , atque etiam considerent : Si nunc temporis Sapientum suorum Concilium , ut sæpè alias recit , Ecclesia cogeret , utros patent pro Magistris suis in illud vocaturam , quos vulgus adorat Criticos , an quos Critici despiciunt Theologos ? At inquietantur extremæ effet amentiae id in dubium revocare . Fa- teantur igitur vel inviti , alios vulgi , alios Ecclesiæ judicio esse Criticos .

Hactenus nostram , vel potius communem doctrinam hominum , atque adeò vestram cum de re Critica , tum de Sacris Criticis sententiam audi- vistis ; nunc autem eorum , qui secus sentiunt audite . Ac primo quidem firmissimam illam Critices , ac verissimam regulam , quam ego nulli displicitaram putabam , video Neocriticorum multis displicere , qui nihil minus decere putant Criticum , quam uni aliqui scientiæ , vel disciplinæ se totum addicere , &

in illius decretis cognoscendis vitam omnem magnis laboribus consumere. Miseret me illorum, ut quos recti species mirum in modum fefellisse videatut. Videntur illi quidem Critices artem ad nullam per scientiam pertinere , ac tamen peræque in omnibus versari , artemque communem , & vagam crediderunt , in quo non multum fallebantur , at continuo vagari sibi quoque fas esse putaverunt , & quadam communione doctrinæ in omnibus scientiis vivere, per omnes discurrere , in nulla consistere , atque ut ita dicam , in omnibus diversorum , in nullâ domicilium habere , in quo vehementer sunt decepti , neque humani ingenii angustias , imbecillitatemque naturæ communis perspecta satis habuere. Sunt , fateor , nonnulli homines , qui ob singularem ingenii præstantiam , & indefessum laborem multum in multis excelluerunt , sed hi tamen non sunt ita multi , ut non potius à communi lege excipiendi sint , quàm ipsi pro regulâ statuendi.

Jam quibus communis illa , & meridianâ luce clarius regula non satis arriferit , mirum videri non debet , si quos secundum illam Criticos pronuntiavimus , non usquequaque veros fuisse Criticos contendant. Et tamen primæ classis Critici , cum vel ex Christi ore , vel ex Spiritu Sancti afflatu Criticem suam hausisse , vel ipsi Neocritici fateantur , in tuto sunt. In Criticos secundæ classis liberius loquuntur , quin & eorum nonnullos Critices severioris regulas notas non habuisse audent blaterare. Quo fit , ut apud plurimos Neocriticos & Patrum fides sit tenuior , & autoritas levior. Libet interpretari horum hominum parum considerata verba : *Non nulli Ecclesiæ Patres vera critices regulas notas non habuere.* Id est : non nulli homines sanctissimi juxta , ac sapientissimi , illi nimirum , quos Christus Dei

Sapientia Ecclesiæ suæ dedit Magistros , leves in judicando fuere , uti prudentiâ nescivere , fabulæ , ac veritatis discrimen non cognoverè . Hac libertate utuntur novi Sapientes ; interea qui tantum non audiēmus , qui debitam adversus majores nostros observantiam habemus , plebs sumus . Quid à Doctores Scholæ , quos ad tertiam Criticorum classem referendos censuimus , quo apud istos sunt loco ? Pudet dicere . Sed huic malo non ego potius , quām vos omnes , sapientissimi viri , resistere debetis : vestra agitur , vestrum decus in discrimen vocatur , vestræ Universitatis splendor obnubitur . Sed quasdem regulas isti sibi arrogant ? Nempe de recto usu autoritatis , traditionis , conjecturæ . Non possum singula persequi , quare missis traditione , & autoritate , quæ longiorem orationem postulabant , levitatem conjecturæ leviter perstringamus . Conjecturâ , ajebat orator summus , nihil incertius , & verè : nam cui dubium esse potest , pleraque esse vera , quæ non sint verosimilia , nec pauciora & se verosimilia , quæ tamen sunt falsa . At versatilis hic locus magno usui est novis Criticis . Si causæ favet , nihil est eo firmius , si autem , vento est , & plumâ levior . Quid dicam de argumento , ut vocant , negativo ? Quām creber illius abusus ? Si vox unius autoris non placet , ad silentium alterius provocant , si vero silentium displicet , vocem expectant . Sed hunc locum vel ipsi fatentur esse levissimum . Et vero quām saepè Servatoris nostri factum aliquod præclarum , atque illustre apud unum Evangelistam legimus , quod frustra apud tres alios requiras , nec tamen impedit trium silentium , quominus vocem unius audiamus . Quæ à stilo duci solet conjectura , si cum aliis comparetur , aliquanto est firmior , si vero ipsa ex se spectetur , dubia sanè est , & ancipitis famæ . Sa-

pe unus ideinque autòr diverso , ac planè dissimili ,
 sàpè autem diversi autores uno , eodemque stilo lo-
 quuntur . Sed vereor , ne rem unam pulcherrimam
 transiliat oratio . Qui nafuto in grege præ cæte-
 ris excellunt , aliorum regulis diutius se non pa-
 tiuntur constringi . Quid ita ? Quia nescio qua beat-
 itate in hac mortali vitâ perfruuntur . Illi nimi-
 rum colorem veritatis acutissimis oculis vident , sa-
 porem delicatissimo palato gustant , sonum subtilissi-
 mo auditu audiunt , vestigium illius vel tenuissi-
 mum sagacissimis natibus odontantur , corpus vero
 manibus , pedibusque contrectant . Et tamen istos , si
 superis placet , beatos quam sàpè videmus comple-
 ti umbras Pharaonicis tenebris densiores ! Planè hoc
 silentium vestrum , hæc alacritas faciunt , ut in-
 telligam , vobis orationem meam non valde displace-
 re , quin magno arguento sunt , sciolos in hac
 tantâ frequentia esse nullos .

Sed nihil proprius factum est , quam ut qui suis
 oculis tantum tribuerent , aliorum credulitatem ir-
 riderent . Nulla illorum in scriptis tritora sunt verba : *Vir erat doctus , at erat minimè malus , & ad cuivis credendum facilis* . Nimiam in credendo facilitatem non laudo , scio eam risum cordatis viris sàpè
 numero , nec immerito semper dedisse ; neque il-
 lud nescio , ei qui facile credat , non facile esse cre-
 dendum : id dico , si quando mihi è medio , quod
 unicè probo , recedere necesse erit , citius me credu-
 litatis nimiæ , quam nimiæ incredulitatis extremum
 amplexurum ; nisi si quando novis Criticis erit creden-
 dum , tunc enim sustinebo me , neque comittam ut fa-
 cilè illis assentiar , ne meam in credendo facilitatem
 jure , ac merito irrideant . Cæteroqui autem optimus ve-
 ritatis Magister , Servator noster disertissimis verbis
 verat esse nos incredulos , fideles esse jubet . Nam si

quis putat, quibus verbis incredulitatem Thomae reprehendit, iisdem nostram probare; vehementer errat, neque enim si unum Thomam fidelem esse voluisse, illud addere fuit necesse, quod tamen addidit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Sed redeo ad decantatissima illa verba: *Et ad cuivis credendum facilis.* Non disputo, quam vere: sit ita. Quæ in rem christianam damna ab hac credulitate derivata esse dicent? At ex illorum incredulitate propemodum infinita: dies me deficiet, si velim singula percensere. Fingamus hominem de eo grege levissimum, sunt enim benè multi, ut fictio nostra non multum à vero abhorrete videatur. Audit is ejusmodi aliquid, ut non multum intersit ad fidei summam, sic, an secus dicatur, & audit ab uno, alterove populo tradi. Quid tum? Ne levis, ut est, habeatur, ne cum populo sapere videatur, popularem traditionem exsibilat, & irridet; hinc suis quasi gradibus altius provehitur, unius provinciæ, atque adeò regni traditionem critico superciliosi despicit, anilem superstitionem appellat, inde Patrum, mox Apostolorum memoriam contemnit, denique qui loquenti Deo fidem non habeat, ne scribenti quidem credit; sic plerique è malis Criticis boni Hæretici evaserunt. At quam graves ab ejusmodi hominibus pœnas Deus non semel repetiuit! Accidit, virti ornatisimi, & nimium saepe accidit, ut qui cum duo, tresve Ecclesiæ Patres rem unam testarentur, non crederent; idem si rei ejusdem duo, tresve Critici Abbates testes existerent, minimè dubitarēt. Non peto tamen, ut omnes veritates eodem honore prosequantur, iniquum id foret. Non sunt ordinis unius omnes, sunt aliæ aliis nobiliores: sic aliæ in divinis Scripturis, aliæ in Patrum libris, aliæ in Ecclesiæ Dypticis locum habent, neque si à primo excidunt, è totâ Republicâ exigenda sunt. Exulent mendacia, exu-

lent

lent fabulæ à Christi Ecclesiâ , at veritates cujuscumque sint ordinis, ut non eodem loco, at eâdem in Republicâ consistant.

Haberis, Adolescentes optimi, Sacræ Critices ideam leviter quidem adumbratam ; qui veri , qui falsi Critici olim fuerint , & modò sint , videtis. Nequè vero dubito quorum partes , ac causam sequi malitis. At si aliquando , quod tamen non puto , sed si aliquando novitatis amor , ac studium, si periculosisima, ac malesana omnia scalpendi libido animos vestros invaserit , ponite ante vestros oculos clarissimos hujus florentissimæ Academiæ Magistros , illos inquam Magistros , qui unâ cum nominis sui famâ immortalem huic scientiarum omnium domicilio gloriam pepererunt. Non illi , mihi credite , ventosæ novitatis insanias, sed solidæ Critices regulas sunt sequuti; nec vero recentium sciolorum labantes gressus , sed triplicis Scholæ Doctorum altè infixa vestigia premere voluerunt. Hos vobis Magistros , hos Doctores, hos denique præstantissimos Duces misit Deus. Ab iis ne latum quidem unguem recedite , quam illi ingressi sunt viam arripi te , illorum esse similes studete , si ad optatam pulcherrimæ veritatis arcem vultis pervenire.

DIXI.

*Vt. D. Petrus Gil Dolz, J.U.D.
Canonic. & Univ. Val Reft.*